

EPISTULA LEONINA

CLXIV

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEXAGESIMAM QUARTAM (164) !

ARGUMENTA

KAI ΣΥ TEKNON.....	03
DANIELIS BLANCHARD NARRATIONES (<i>Existimatio</i>).....	04 - 13
NARRATIUNCULAE PUERI MALE MORATI (IV) (<i>Thoma</i>).....	14 - 23
EPITAPHIUM ABBATIS GREGORII I.PFEIFFER.....	24

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

*postquam per hexadem septimanarum a Leone Latino nihil accepisti,
nunc tandem tibi offero Epistulam Leoninam centesimam
sexagesimam quartam (164). De hac Epistulâ diutius retardatâ, sed
nunc tandem tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque
eandem gaudio fore!*

*Nonnulli vestrum solliciti me rogaverunt, quaenam causa esset, quâ
Leo tam diu sileret. En habes duas causas: Propter perfrictionem
contractam et labores in scholâ et universitate exanclandos
aliquamdiu coactus eram, ut desisterem ab Epistulis Leoninis êdendis.*

*At nunc, cara Lectrix, care Lector, denuo cena tibi apparata est
opipara: tolle lege fruere!*

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Saturni, 2. m.lunii., a.2018**



KAI ΣΥ TEKNON

SUETONIUS Divus Iulius cap.[82] Assidentem conspirati specie officii circumsteterunt, ilicoque Cimber Tillius, qui primas partes suscepérat, quasi aliiquid rogaturus propius accessit renventique et gestu in aliud tempus differenti ab utroque umero togam adprehendit: deinde clamantem: '**ista quidem vis est!**' alter e Cascis aversum vulnerat paulum infra iugulum. Caesar Cascae brachium arreptum graphio traiecit conatusque prosilire alio vulnere tardatus est; utque animadvertit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvoluit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet etiam inferiore corporis parte velata. Atque ita tribus et viginti plagiis confossus est uno modo ad primum ictum gemitu sine voce edito, etsi tradiderunt quidam Marco Bruto irruenti dixisse: **καὶ σὺ τέκνον;** Exanimis diffugientibus cunctis aliquamdiu iacuit, donec lecticae impositum, dependente brachio, tres servoli domum rettulerunt. Nec in tot vulneribus, ut Antistius medicus existimabat, letale ullum repertum est, nisi quod secundo loco in pectore acceperat. Fuerat animus coniuratis corpus occisi in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere, sed metu Marci Antoni consulis et magistri equitum Lepidi destiterunt.

DANIELIS BLANCHARD NARRATIONES

Existimatio libri latini nuper editi

DANIELIS BLANCHARD CANTORIS PARISINI NARRATIONES QUIBUS ACCREDIT ELEGIA. Praefationes Alexandri Ricci Collegii Regii Professor, et Francisci Ploton-Nicollet magister in schola Chartarum. Epigramma Johannis Francisci Arnoud Arcoialensis. Apud Nicolaum Malais editorem & Bibliopolam (Parisiis) MMXVIII. ISBN - 978-2-9526783-3-9. 111 pp. Pretium: 25 €.

Index Operum

<i>Epigramma Johannis Francisci Arnoud Arcoialensis</i>	9
<i>Praefatio 1: Alexandri Ricii, Collegii Regii Professoris</i>	11
<i>Praefatio 2: Francisci Ploton Nicollet, professoris in Schola Chartarum</i>	15
<i>Oceanus</i> (2012).....	17
<i>Superstes</i> (2012).....	27
<i>Melos obstinatum</i> (2013).....	41
<i>Timoleonis disceptatio</i> (2014).....	45
<i>De sibyllina morte quadam</i> (2015)	59
<i>Dira lex</i> (2016)	71
<i>Epistula ad juvenem poetam</i> (2016)	87
<i>Jussum praesidis quoddam</i> (2017)	101
<i>Elegia: Regna Morphei</i>	107

Loci sequentes indicantur hōc ordine: pagina – incisum – linea.

1. Auctor

Daniel Blanchard cantor lyricus natus est a.1976. Iam puer a patre linguā Latinā imbutus est. Idem cum Latinitatis Vivaे sit defensor ferventissimus, a.2003 condidit Circulum Latinum Lutetiensem¹. In periodico *Melissae* Latino symbolas publicavit, quae spectant ad historiam litterarum, dialogos satiricos, nuntiosque. A.2015 Romae in urbe Daniel factus est sodalis Academiae Latinitati Fovendae (ALF). Cum a.2011 in Hispaniae *Universitate Sanctae Crucis*² cursum

¹ <http://madame.lefigaro.fr/societe/les-accros-au-latin-defendent-avec-ferveur-la-langue-la-moins-elitiste-possible-190515-96633> «Cheminot, diplomate, chanteur...ils se réunissent pour parler en latin !»

² <http://bib26.pusc.it/lingue/latinoes.html>

prolixum habuisset Latinê loquendi institutorium, a.2017 in lucem edidit librum, quo explicavit methodum Latinitatis loquularis docendae: «*Lectiones Latinitatis Vivaे*»: *Speaking Latin as a living language* (Polis 2017).

2. Argumenta fabularum

Oceanus (2012)

Michael vir undequadraginta annos natus clavichordio canit, est amator pulchrarum formarum, docet artem modorum componendorum. Qui artifex statuit domicilium mutare et urbem fugere. Musicus petit solitudinem, quam invenit in domo prope litus marinum sitâ. Admirabili cum subtilitate poeta describit affectum animi motionemque maris: *Harmonia magna oritur audienti spectantique, in qua humana vox velut in concentu mergitur. Verba muta sunt, et resonant in diuturnitate oceani...*(25,2,7-9).

Superstes (2012)

Argumentum huius fabulae Blanchardiana monet me aliquatenus illius «*Saeculorum transvectionis*» a *Genovefâ Metais* sive *Immè* poetriâ Danielis conterraneâ scriptae: Nam in utrâque fabulâ phantasticâ agitur de homine antiquo, qui – mirum dictu! - aetate modernâ vivus incidit in homines modernos. Narrator animi recreandi causâ in magnâ Lutetiae necropoli ambulans audit aliquem virum ante sepulchrum stans amicum defunctum verbis Latinis alloquentem. Stupefactus ipse virum alloquitur et animadvertis illum Latinê loqui profluenter verbisque sine praecogitatione manantibus. Ille vir vocatur *Augustinus*. Videtur quidem esse narratoris coaequalis, qui tricenarius est. *Lepida eius confabulatio, lingua ornatissima, elegans, continensque erat. Apparebat tamen magna amaritudo, quae juvenem faciem parum decebat* (31,2,8). Deinde viri saepe inter se conveniunt cum de aliis tum praecipuê de libris vetustis inter se colloquentes; paulatim et gradatim amicitiâ inter se coniunguntur. Photographemate quodam aspecto narrator invenit necessarium esse, ut amicus suus habeat multo plures annos quam aspectu videatur. Nam idem *horrendo malo* afficitur: *non senescit* (34,3,9). Narratoris autem animus variis modis commovetur: *Stupebam. Dolebam. Timore*

capiebar. Perditus eram (34,3,1).... Haesi, et tacui (35,1,1). Et pausâ interpositâ ex Augustino quaerit: Sed... quando natus es? Ille respondet: Imperatore Ulpio Traiano regnante, mi bone, Marco Atilio Metilio consule. Id in schola didici. Anno centesimo nono post Christum natum, si mavis, aut nisi errant rerum scriptores...(35,3,12sq.)

Melos obstinatum (2013)

Quâ fabulâ agitur de cantilenâ sive melodiâ pertinaci, quae narratorem musicum quodammodo persequitur die noctuque. *Eam repellere non poterat, invitusque mergebatur in denso sonorum fluctu (41,1,11sq.).* At sequenti die cum surrexerit, statuit concentum musicum adire, qui fiet in Odeo municipali: *Novus homo erat. Statuerat animam audire suam, quae pulchritudinis pastu usque ad insaniam egeret. Nimis diu ab omni cultu humano, ut plerique faciunt, semotus vixerat. Obstinata melopoeia illa liberatus erat (43,2,10-14).*

Timoleonis disceptatio (2014)

Saeculo sexto p.Chr.n. in Aegypto *Timoleon* christianus iuvenis studiosus librorum cupidissimus deliberat, num ausurus sit unâ cum *Agathocle* servo suo, quem novit a primis pueris, et quocum amicitâ coniunctus est, iter facere Constantinopolin, ut ibidem bibliothecae libros pretiosissimos perscrutetur. Quadam ex parte haec fabula Danielis nos commonet *Flavii Dioscuri* sive *Flavii Aphroditonis* scholastici Aegyptii saeculi sexti p.Chr.n., cuius archivum papyrorum privatum ineunte saeculo vicesimo (a.1905) est inventum³. Sed certê Daniel rebus traditis nonnulla admiscuit artificiosê conficta. Animus meus magnâ exspectatione et misericordiâ commotus est, cum legerem, quomodo Timoleon Historiâ naturali Plinii lectâ a vicinis accusatus esset magiae. Scilicet recordatus sim *Apuleianum* opusculum *de magiâ* inscriptum... Daniel autem excellenter describit vicinorum avaritiam et superstitionem, amicorum curas et timorem, sacerdotis salvatoris animum fortem et clementem.

³ https://en.wikipedia.org/wiki/Dioscorus_of_Aphrodisias

De sibyllina morte quadam (2015)

Vaticinia aenigmatica, vetusti libri, in fine scelus – hanc fabulam Danielis legens quadamtenus recordatus sum *Umberti Econis Nomen Rosae*. Certē multimodis haec fabula Blanchardiana differt ab illâ Econianâ: non agitur in monasterio neque medio aevo, sed agitur de libris deque homine, qui cupiditate librorum obsessus est, necnon obsessus est cupiditate aenigma solvendi, quod invénit in libro vetusto. Quaeris, care lector, quidnam harioler? Cupisne mysterium fabulae cognoscere? Ergo lege Danielis *Narrationes*!

Dira lex (2016)

Etiam hac in fabulâ Blanchardianâ maximi momenti sunt libri vetusti. Novâ lêge *oportebat omnes, qui nationale artis patrimonium possidebant, omnia opera ante novum annum in telonio publico declarare*. Tunc aestimabantur opera ratione quadam occulta, ut tributum solveretur ab eis, qui opera sua pretiosa domi servare cupiebant; qui tamen solveare non poterant, opera sua in museis vel in bibliothecis publicis deponere oportebat, ut omnibus civibus sine discriminatione paterent (71, 14-21).

Antonius amicus narratoris amator librorum ferventissimus cogitur, ut nonnullos libros vetustos tradat ad bibliothecae publicae usum. Qui vir bibliophilus animo contristato studet thesauros suos recuperare. Per multas ambages denique accipit libros suos numquam in bibliothecam pervenisse, sed peregrê venditos esse, ut pecunia acciperetur... Sub praetextu aequalitatis tutandae patefit lucricupido...

Epistula ad juvenem poetam (2016)

Narrator undeviginti annos natus cantor classicae arti musicae deditus in amorem incidit *Juliettae* puellae corporis quidem formosi, sed animi levissimi. Magister cantoris nomine *Victor*, septuagenarius est valdê eruditus et habet magnam bibliothecam. Discipulum suum non sôlum cantando instituit, sed cum eo etiam colloquitur de artibus, de litteris deque poesi. Victor discipulo suo confitetur se carmina Latina scribere, sed eadem illi nondum ostendit: *Post mortem meam ea leges* (88,1,4sq.).

At puella cantoris iuvenis amata omnino aliter vivit ac ille: *omni vespero in thermopolii, vel in tabernis saltatoriis cum amicis et ignotis, quos facile adibat, usque ad multam noctem laeta convivia* (88,2,3-5) trahebat. Julietta modos musicos a iuvene clavichordio editos haud attente audit. De vita futura cum amico colloquens dicit iocans: *Noto histrioni vel argentario nubam. Mihi opus est pecunia, ut beatam vitam degam* (89,1,7-9). Haec verba iuveni miserrimo *velut repentinus fulguris ictus strepuerunt* (89,1,10sq.). Ab amicis Juliettae deridentur cantoris vestimenta eiusque imperitia cantiuncularum, quae televisione diffunduntur. Cantor autem artificiosus dolens cogitat: *Julietta istos nebulones audire mavult, quam cantus meos* (89,2,13). Cantor et artem suam classicam et amicitiam aliis iuvenis negligens sibi non temperat, quin certaminis particeps ex tempore cantet cantiunculam levissimam, ut Juliettae moveat admirationem. Reverâ certamen superat ideoque laedit animum amici cuiusdam, qui ipse certaminis particeps erat. At id quod vehementer speraverat, amorem Juliettae, non assequitur; eam certamine cantandi finito diutius quaeritatam tandem invenit lascivê virum aetate proiectorem basiantem et ridentem... Quid nunc de iuvene spe amoris decepto? *Qualis nox fuit mihi! Flere volui, at aquam negavit desiccatum cor* (92,2,1sq.).

Denique iuveni desperato solacium affertur a magistro suo, qui non sôlum est magister cantandi et philosophandi, sed etiam Latinus poeta excellentissimus. Misit enim discipulo suo prolixum carmen Latinum, quo illum docet de recto modo vivendi:

*Sectari noli, juvenis, mores hodiernos,
Neu dictis hominum credas fallacibus audax :
Excidium, dilecte, ferent amentia verba
Mercurii, convivia necnon noxia Bacchi.
(93,3,1-4)...*

Jussum praesidis quoddam (2017)

Bello frigido, quod gerebatur inter Russos et Americanos, praesidi Francogallorum milites nuntiant se accepisse quaedam signa e stellâ quadam constellationis Cassiopeiae emissa, quae a terrâ 21 lucis annis

distet. Nec Russos, nec Anglos, nec Americanos, nec Seres nec alios hunc nuntium accepisse: casu ad illam caeli regionem versam esse antemnam Francogallorum. Quinam fuit nuntius arcanus? Et quid statuit Praeses Francogallorum? Tolle lege libellum Blanchardianum !

Elegia: Regna Morphei

Daniel *lepidum suum novum libellum* concludit carmine elegico, quod spectat ad Regnum Morphei, i.e. Dei somniferi:

*Invitus, cum dormis, verba cies, agitaris,
Et profers subito murmura surda dolens.
Circum te volitant palmae, sparsaeque recumbunt,
Veloce ut aves diffugiunt timidae.
Te retinet Somnus, fallacia somnia fundens,
Artis in laqueis, tristibus in tenebris.*
(107,1-4) ...

3. Orthographia

Interpunctio francogallica: Omnis natio habet interpunctionem Latinitatis propriam. Sed **Academia Latinitati Fovendae** (ALF)⁴ iam pridem proposuit normas interpunctionis Latinae internationales et generales. Utile est sequi tales normas generales, nam interdum interpunctione mutandâ sensus sententiae variâ intellegitur.

Exempla. Virgulae (commata) post ablativum absolutum et ante accusaticum cum infinitivo positae.

Scriptio quorundam verborum Blanchardiana non congruit cum modo scribendi, quo utuntur philologi hodierni secundum cognitiones recentiores et normas Thesauri Linguae Latinae (Thll) et editionum criticarum, quae sunt Oxonienses, Teubnerianae, Budaeanae eqs

Exempla: *j non est littera antiqua*: iunxi (non: junxi, 29,2,1; Iovis (non: Jovis, 32,5,1), iocis (non: jocis, 88,2,14); *æ/æ*: obscœnis (non: obscœnibus, 91,3,10); obscœna (non: obscœna, 74,1,9); *-tio/-cio*: contio (non: concio); *i/y*: lacrimas (non: lacrymas, 74,1,7), lacrimantem (non: lacrymantem, 109, 2 ab ult.); Silvius (non: Sylvius, 79,3,5; 79,5,1); *t/th*: letalis (non: lethalis, 69,2,16); *m/n*: umquam (non: unquam, 94,3,4); *h-*: umerus (non: humerus); *dt/tt*:

⁴ NORMAE ORTHOGRAPHICAE ET ORTHOTYPICAE LATINAЕ, ACADEMIA INTERNATIONAЛIS LATINITATI FOVENDAE, Romae 1988. Praemonenda (Nicolaus SALLMANN, Consilio legum orthotypicarum praefectus in Academia Latinitatis Fovendae).

attulerat (non: adtulerat, 105, 2,4); **t/tt:** rettulimus (non: retulimus, 52,2,1), rettulit (non: retulit, 69,2, 8); cottidie (non: quotidie, 71,1,11)

4. Neologismi

***aesthetes**, -ae m.

20,2,11: *aesthetarum* (*G.pl.*): *Quid curet industria plebs aesthetarum lucubraciones, Pieridumque subtile ludos?*

cfr fr. *esthète*, theod. *Ästhet.* Est homo pulchris rebus sentiendis vel contemplandis eximiē deditus. Latinum locum testem alterum non inveni. cfr gr. LSc (= Liddell-Scott) s.v.:

"*αἰσθητής, ὁ*ν, ó, one who perceives, *Pl(ato), Theaitetos 160 d.*" Hoc verbum graecum ergo nihil valet nisi hominem, qui aliquid sentit, i.e. sensibus suis recipit. Haec autem vis verbi certē non est eadem ac illa vis substantivi ab auctore l.l. adhibiti.

***astronavis**, -is f. (104,2,3sq.)

catalogus ***electronicus** (78,1,7)

***computatrum**, -i n. (43,2,5; 78,1,14)

***contrapunctus**, -us m. (87,2,3)

cursus ***electronicus** (90,2,8)

***electronice** (adv.) (77,3,4)

epistula ***electronica** (68,2,1)

flabellum mechanicum (101,1,3sq.)

***interrete**, -is n. (77,3,3)

machina ***photographica** (33,3, ult.)

machina responsoria (67,2,3)

***microbium**, -ii n. (104,2,8)

***perspicillum**, -i n. (78,1,13)

***photographema**, -atis n. (33,3,11sq.)

***pulsatrum**, -i n. (99,2,8)

***radio-electricus**, -a, -um (103,2, 2 ab ult.)

***radiophonicus**, -a, -um (71,1,13)

***radiophonum**, -i n. (41,1,5; 99,2,8)

statio ***ferriviaria** (41,10)

***telephonice** (adv.) (79,3,9; 79,5,2; 81,2,8)

***telephonum**, -i n. (33,3,4; 79,5,2sq.; 99,2,1sq.)

***telescopium**, -ii n. (104,2,3)

***televisio**, -onis f. (83,1,11; 89,2,5)

***televisorium**, -ii n. (33,1,4)

***thea**, -ae f. (80,1,2; 87,2,10)

tramen ***metropolitanum** (41,1,6)

***typographia**, -ae f. (73,1,5)

Usus verbi

***clavichordium** (18,1,4), ***clavichordista** (90,3,2)

an potius ***clavile**, -is n./ ***clavilista**, -ae m.?

Agiture de eo instrumento vetere, quod francogallicē dicitur "clavicorde" an de "piano"? (<https://fr.wikipedia.org/wiki/Clavicorde>) Sed procul dubio Daniel musicus has res optimē scit ipse.

Evitatio neologismorum Procrustea

***cafeum**, -ei n. (**thermopolium**, -ii n.)

*limonata, -ae f.: sicera (92,1,5sq.)

*droga, -ae f.: substantiae somnificae (91,3,12, non: *drogae); fumi somnifici (96, 2,7 ab ult.)

5. ERRATA

p.5 (sub titulo), lin.1: PRAEFATIONES ALEXANDRI RICCI COLLEGII REGII

PROFESSORIS (non: PROFESSOR)

p.5, lin.2: FRANCISCI PLOTON-NICOLLET, MAGISTRI (non: MAGISTER)

p.9, lin.6: Sæcula, dís iūvántibus... Syllaba iū- cum brevis sit non quadrat ad metrum.

12,1,1sq.: Deerunt enim cum homines tum vires (non: tum...cum)

cfr 72,1,2: commodum cum populi tum futurarum generationum (non: tum...cum)

12,2,7: exstítit (non: exstetit)

23,3,4: HORATIUS, carmina I 26: gelidae (non: gelido).

24,1,1sq.: Quid Tiridaten (non: -em) terreat, unice/ securus (non: secutus).

24,3,3: neumatibus (non: neumis). Sed neumata ($\tau\circ\ \nu\tilde{e}\mu\alpha$ = neuma, -atis n.) sunt notae musicae mediae vales, non modernae

34,1,9: MCMI (non: MMXI). Agitur de “ineunte vicesimo saeculo” (cfr 34,1,4).

39,2,1: Quid addere potui? (non: potuisse?) cfr fr. Qu'aurais-je pu ajouter?

cfr Menge, Repetitorium, 17.ed., Darmstadt 1979, p.215,§330: “Der Indikativ, der Modus der Wirklichkeit, steht im Lateinischen abweichend vom Deutschen in folgenden Fällen: I von den Hülfsvorberen des Modus „können, müssen, sollen, dürfen“ (wie possum, licet, debeo, oportet, necesse est, decet, convenit u. Gerundivkonstruktionen. Die deutschen Ausdrücke „ich könnte, müßte, sollte, dürfte“ werden im Lateinischen durch den Indikativ Präsens, und die Ausdrücke „ich hätte können, hätte müssen“ durch den Indikativ Imperfekt, Perfekt oder Plusquamperfekt ausgedrückt“.

41,11: In tramine modi musici intensiores facti sunt (non: musica intensior facta est).

cfr 42,2,3: voluit denuo modos musicos audire (non: musicam)

cfr 89,2,11: plebeios modos musicos audire (non: plebeias musicas)

Secundum lexica vernaculo-latina maiora (e.g. Georges) “musica” est ars, sed soni, qui eādem arte efficiuntur et effecti audiuntur, melius dicuntur “modi musici”.

50,3,1sq.: ager..., qui non ultra decem aruras (non: arouras, cfr gr. ή ἄρουρα) complectebatur (non: metiebatur)

59,1sq.: Verba Oraculorum Sibyllinorum allata non inveniuntur in primo libro (I,1), sed in primo fragmēto (cfr Die griechischen christlichen Schriftsteller der ersten 3 Jahrhunderte : Die Oracula Sibyllina, Leipzig 1902, p.227: «Fragmenta 1»

63,2,9: coriacea (non : -ea) AMM.24,3,11; PLACIT.de medic.17,20.

64,2,8: Breviarium (non: Brevarium)

69,2,8: retulit (non: retulit)

69,2,15: gravem dolum (an: dolorem?) quendam passus (non: quoddam)

73,2,8: recumbens (non: recumbans)

75, 2, lin.ultima: (...custos...bibliothecam) ipse (?) inspicere coepit (non: proprius)

76,2: in bibliothecam pronus (non: bibliotheca)

76,19: Operam do libris (non: in libris)

76,30sqq.: Si documenta ostenderis (fut.II, non: ostendes), ...libros...tibi reddentur (consecutio temporum)

77,1,1sq.: Nisi dederis (fut.II, non: dabis), libros...capiam (consecutio temporum)

77,1,5: intra (non: inter) duas hebdomadas

80,1,4: Repperistine (non: Potuistine...reperi) libros meos? Reperi (non: Potui).

“posse” hīc phraseologicum est.

80, lin.3 ab ult.: venditionum particeps (non: venditionibus)

p.81: Immo scio quid faciendumst. (non: Immo exstat solutio).

p.82,7: cum nesciret, quid accurate/exacte (non: praecise) significarent.

cfr 102,4: Rem accuratius/exactius (non: praecisius) ei aperies.

cfr 103,3: et quid accurate/exacte (non: praecise) significet.

cfr praecise: CIC.nat.deor.2,73 Georges s.v. “abgekürzt”, OLD „(of speaking, writing) in an abbreviated manner, elliptically“ CIC.ad Att.8,4,2 Georges “schlechtweg, ohne Bedingung”, OLD “Without qualification, categorically”.

82,2,5: sumpsit (non: sumspit)

88,2,10sq.: cum me studia sensim negligentem perciperent (sensu concessivo, non: perceperunt)

88,lin.4 ante ult.: (Genitores)... arbitrati sunt, meae aetatis esse (non: fuisse) jocis indulgere

89,2,10: Volui ergo, ne apocrotus (ut Graeci facete dicunt) viderer, neu Juliettam pudore afficerem, plebeias musicas audire.

Hoc verbum graecum quo sensu auctor adhibeat, difficile mihi videtur esse intellectu.

Verbum q.e. ἀπόκροτος, invenitur secundum Liddell-Scott, p.204, s.v. his locis:

“ἀπόκροτος, ov, beaten or trodden hard, γῆ, χωρίον, Th.7,27. X.Eq.7.15, cf. Hero Aut.2.1: generally, hard, χηλαί καὶ ὄπλαί Plu.2.98d: Medic., ἀρτηρία Gal.19.405; πῶρος ib. 442: metaph., ψυχὴ λιθίνη καὶ ἀπόκροτος, Ph. 2.165, cf. Ptol. Tetr.155. ...”

Ergo qualis narrator musicus non vult videri? Num non vult videri animo esse nimis duro? Quatenus Graeci “facete sic dicunt”? Hôc loco Daniel auctor aliquatenus obscurus est.

90,1,2: illa ad me (non: mihi) virum aetate nobis majorem introduxit (non: tradidit). cfr 91,3,6 Johannem Johannem volebam ad amatam puellam introducere (non : tradere).

cfr CURTIUS 6,7,17 a quo introduceretur ad regem.

cfr D.P. Simpson, Cassell's Latin-English / English-Latin Dictionary, 5.ed. 1975, p.743: “introduce. ... (2) of persons, to make one known to another, introducere, commendare.

91,3,10: obscaenis motibus (non: obscenibus)

104,1,13: Hora sexta cum besse (non: cum bisse, bes, bessis = 2/3)

107, lin.3 ab ult.: Hác (non: hoc, abyssus est feminini generis) in abýssso dúm nátás (nă- quia est syllaba brevis, non quadrat ad metrum).

6. CONCLUSIO

Daniel Blanchard scripsit varias fabulas poeticas. Eius professio est ars musica eandemque eleganter coniungit cum poeticâ. Num quae res fabulis inest communis, quoddam thema fabularum commune et typice Blanchardianum? Certe tale est ! Daniel quasi helluatur libris iisdemque Latinis et vetustissimis!

Bene memini opera Latina *Genovefae Immè* sive *Metais* poetissae Latinae, quorum illustrissimum videtur esse illa «Saeculorum Transvectio» (ed. a.1976)⁵. Quae defenstrix Latinitatis industriosissima edidit periodicum «MAS» («Memento Audere Semper»). Postquam Genovefa poetissa ingeniosa a.2012 fatis concessit, nunc Daniel poesin Francogallorum Latinam utinam perget splendidê fovere et augere! Verum enim vero appareat novum florem

⁵ https://fr.wikipedia.org/wiki/Genevi%C3%A8ve_Imm%C3%A8

poeeos Latinae in Francogalliâ colenda admirabiliter efflorescere, necnon hanc rem acu tangit *Franciscus Arnoud* in suis «*Sagittis Apollinis*»:

*Qui Galli fuerant, nunc audent esse Latini.*⁶

Hac existimatione libelli Blanchardiani finitâ omni amico Latinitatis vivaे plurimum commendo, ut fruatur lectione huius opusculi verê lepidi, verê poetici verêque Latini! Tolle, lege, mirare.

LIBELLUM DANIELIS BLANCHARD LATINUM

QUI INSCRIBITUR

»Narrationes quibus accedit elegia«

EXISTIMAVIT

**NICOLAUS GROSS
LEO LATINUS**

⁶ Franciscus Arnoud, *Sagittae Apollinis*, in: Daniel Blanchard, *Narrationes*, p.9, v.22.

**NARRATIUNCULAE
PUERI
MALE MÓRATI**
(Lausbubengeschichten)

Quas scripsit

LUDOVICUS THOMA

in Latinum convertit

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Pars I: EL 144, 4-12; pars II: EL 145, 7-14; Pars III: EL 155, 4-16.



LUDWIG THOMA

(1867-1921)

Circa a.1909 pinxit Karl Klimsch.

Ludovicum iuvenem cum pertaedeat se iterum iterumque submittere licentiae magistrorum ceterorumque hominum, qui putantur esse auctoritates, audax consilium capit unum post alterum, quo quam bellissimē calcitret contra stimulum civium abderitanorum.

Ludovicus Thoma his in narratiunculis satiricis, quae specie tantum sunt pueriles, mirifico ingenio comico stupendâque subtilitate mores describendi sistema scholae vilelmianum et clericalismum integumentis dissimulationis fallacissimae evolvit denudatque.

Eius »Narratiunculis pueri male mōrati« lepidissimis animi lectorum usque hodie non desinunt mirabiliter delectari.



Narratiunculae pueri male mōrati

Iuvenis quae expertus sim

PARS QUARTA (IV)

Capitulum 4

Feriis quae facta sint

Feriae magnae cooperant et iam durabant ex quattuor septimanis. Mater mea saepe gemebat, quod nos tam diu vacaremus ab institutione scholari, quia cottidie aliquid fieret incommodi, et soror dixit me familiae nostrae infamiam movere.

Tum aliquando magister *Wagner* nos visitavit. Qui saepius ad nos venit, quia mater mea pomorum tam bene perita est, et bene scit cum eādem colloqui.

Wagner narravit māla sua persica fieri pulchra seque iisdem delectari. Deinde etiam dixit institutionem scholae elementariae post duos iam dies denuo incohatum iri ideoque se mox non iam ab officio vacaturum esse.

Mater mea dixit futurum fuisse, ut gauderet, si gymnasii quoque institutio iam incoharetur, sed sibi adhuc patiendas esse ferias scholares per tres septimanas. Magister autem dixit: »Verum enim vero, haud bonum est catulastros nimis diu vacare. Itaque consilia capere solent vel ineptissima«.

Deinde autem ille abiit. Forte acciderat, ut eodem die furarer tructam, ideoque piscator irâ incensus ad nos cucurrit et clamavit se istud delictum apud astynomos indicaturum esse, nisi accepisset tres marcas ad damnum resarciendum.

Tum convicia in me collata sunt vehementissima, sed soror mea dixit: »Quid hoc prodest? Cras aliquid alterius mali incohabit, nec ullus homo nobiscum vult inire rationem quamcumque. Heri iudex officialis me praeteriens salutavit perquam frigidê. Alioquin semper salutans manet quaesiturus, quomodo valeamus.«

Mater mea dixit aliquid esse faciendum, sed se adhuc nescire, quidnam faciendum esset.

Subito iisdem in mentem vénit fortasse fieri posse, ut ego feriarum tempore frequentarem scholam elementariam, Dominum magistrum certê hoc sibi permissurum esse.

Equidem dixi hoc non oportere, quia iam futurus essem discipulus classis secundae scholae Latinae, et condiscipuli si accepissent me nunc in scholâ elementariâ versari, istanc rem esse infamiam horribilem coram commilitonibus contrahendam. Me malle non iam dolos nectere et fieri sedulissimum.

Cara autem mea mater dixit sorori meae: »Audis eum nunc fieri alium, et res si ei est tam odiosa propter *colimitones*, semel etiam exspectemus. Fieri non potest, ut mater memoriae mandet verba Latina.

Gavisus sum rem sic transactam esse, rectêque contudi animum. Per unum diem res bene facta est, sed die Mercurii non iam sustinui. Iuxta nos *Bischofius* consiliarius secretus habitat ad Viam Rusticationis

Aestivae¹. Eius uxor cum me non diligat, quandocumque saepimento appropinquo, ancillae suae acclamat: »Attende, Elisabetha, adest puer male mōratus«.

Bischofii autem habent cattam Angorensem²; cui semper licet sedere iuxta illos, quandocumque sub dio cafeam bibunt, et Domina Consiliaria Secreta quaerit ex illā: »Nonne vult cattula nostra aliquantulum lactis? Nonne vult etiam aliquantulum mellis?« Quasi catta posset verbis affirmare aut esset infantula.

Die Mercurii catta cum esset apud nos, ancilla nostra eam cibavit. Tum nemine aspectante eam apprehensam stabulo inclusa, ubi prius habueram duos cuniculos regios.

Deinde exspectavi illos cafeam poturos. Domina Consiliaria Secreta iam adfuit et vocavit: »Cattula! Cattula! Elisabetha, nonne vidisti cattulam?«

Sed ancilla hoc nescivit, et illi homines consederunt, et ego post cortinam sedens illuc prospexi.

Tum Domina Consiliaria Secreta maritum allocuta: »Eugéni« inquit »nonne vidisti cattulam?«

Ille autem respondit: »Fortasse, nescio«. Deinde perrexit acta diurna perlegere.

At Domina Consiliaria Secreta perquam cogitabunda butyrum pani illinens: »Omnino nescio« inquit »ubi maneat cattula. Num ea capit mures?«

Interim ego celeriter stabulum ingressus cattam apprehendi. Ad eiusdem caudam alligavi pyropordam³, saepimentum domūs

¹ Via Rūsticātōnis aestīvae orig. in der Sommerfrische.

² catta Angōrēnsis orig. Angorakatze. cfr Brehms Thierleben: Angorakatze (*Felis manulata domestica angorensis*).

³ pyroporda, -ae f. orig. *Pulverfrosch*. lusoria capsula displosiva, quae adhibetur in pyrotechnematisbus. angl. grasshopper, jumping jack (fireworks); fr. pétard; hisp. petardo; ital. petardo. cfr pyrobolus. cfr Nikolaus GROSS, Glossarium Fragrantiae, Fundatio Melissa, Bruxelles a.2004, p.310: “pyroporda, -ae f. orig. Petarde (cap.8). Quod nomen ipsimet configere ausi sumus e verbis Graecis, q.s. πῦρ, i.q. ignis, et πορφύρη, i.q.

Consiliarii Secreti posticum adii pyropordamque accendi. Deinde cattam dimisi. Quae statim per saepimentum lapsa cucurrit celerrimē.

Ancilla clamavit: »Domina Consiliaria Secreta, cattula iam venit«. Deinde audivi eam dicentem: »Ubinam est cattula mea? Heus tandem ades! At cara bestiola quidnam habet ad caudam adjunctum?« Deinde stridor atque crepitus facti sunt terribiles, et illi homines clamantes pocilla humum deiectaverunt, et silentio facto Consiliarius Secretus dixit: »Hoc quoque fecit iste puer male mōratus infamissimus«.

Ego autem me abdidi in conclave sororis meae; inde enim despicerem potes in hortum. Mater mea et Anna etiam cafeam biberunt et cara mea mater modo dixit: »Viden', Annula, Ludovicus non tam malus est; si quidem sat bene tractatur. Heri didicit per totum diem, et bonum est nos ei non infamiam intulisse coram suis *colimitonibus*«.

Anna autem: »Ego quidem« inquit »scire velim, cur Dominus Iudex Officialis me salutans non constiterit«.

Nunc subito ad introitum horti nostri apparuerunt Consiliarius Secretus et Domina Consiliaria Secreta, et mater mea dixit: »Annula, num mittella mea rectē posita est? Consiliarii secreti videntur nos visitare«.

Mater autem cum surrexisset, audivi eam illis obviam procedentem dicere: »Edepol perhumanum est vos venire nos visitatum«. At consiliarius secretus ôs tam terribiliter distorsit, ut crederes eum ambulare cum cadavere, eiusque uxor facie ruberrimâ manu tenens exustam illam pyropordam narravit cattum suum nunc delirare et tria pocilla esse diffracta. Necnon neminem istud facinus commisisse nisi me. Tum matre meâ lacrimas effundente Consiliarius Secretus dixit: »Lacrimes, bona muliercula! Lacrimes de filio tuo improbissimo!« Deinde autem coniuges postulaverunt, ut mater mea pecuniam solveret pro pocillis diffractis, quorum unum constituit duabus marcis, quia fabricatum erat ex porcellanâ exquisitâ.

crepitus ventris. Nam talium crepundiorum Francogallicum nomen, q.e. pétard, ducitur a verbo *péter*, i.e. *pēdere, crepitum ventris ēdere*”.

Ego autem horribili irâ incensus sum videns matrem meam anilem eximere crumillam vetustam eamque nummos numerare manibus vehementer trementibus.

Domina Consiliaria Secreta pecuniâ marsupio rapidê ingestâ dixit rem maximê terribilem esse cattae delirationem, sed se matris meae miseritos nolle de istâ re crimen deferre. Deinde cum Consiliarius Secretus dixisset: »Deus perquam durê te examinat filio tuo«, ambo tandem abierunt.

Ego diutius etiam in hortum despectavi. Tum mater mea ad mensam considens mucinnio detergebat lacrimas, sed iterum iterumque novae prorumpebant, necnon ex Annulae oculis. Panis autem butyratus catino inerat, sed illae noluerunt eundem comedere. Ego cum essem perquam tristis, abii, ne me viderent.

Cogitavi Consiliarium Secretum improbissimê fecisse eo quod pecuniam sumpsisset, et necessarium esse, ut isti dolum aliquem necterem. Me velle cattam clam conficere et eius caudam abscidere. Deinde si Consiliaria vocatura esset: »Ubinam est cattula mea?«, me caudam trans saepimentum projecturum esse. At deliberandum mihi esse, quomodo hoc facerem clam ceteris omnibus. Tum exhilaratus sum mente configens, quomodo illa muliercula vultum contractura esset nihil cattae videns nisi caudam. Tum domum ii manducatum. Anna iam ad ianuam stetit dicens mihi sôli fore comedendum et cras in scholam eundum. Dominum Magistrum *Wagnerum* hoc comprobavisse et pollicitum esse me a se tractatum iri quam severissimê.

Maledicta conicere volui, quia infame est discipulum linguae latinae considere unâ cum pupillis scholaribus stultissimis, sed recordatus sum, mater mea quam vehementer lacrimasset. Tum omnia mala passus sum.

Postridie in scholam ii. Huic scholae unum tantummodo conclave fuit, cui infuerunt omnes classes, unâ ex parte pueri, alterâ puellae.

Adveniens a magistro impositus sum subsellio primo. Deinde idem dixit pueris puellisque dandam esse operam, quia hodie adesset magnus vir doctus, qui sciret Latinê.

Horum verborum me piguit, quia pueri cachinnaverunt. At hoc non prodidi vultu. Aliquis debuit recitare textum. Qui textus inscriptus erat »De vespero« hisque verbis incohatus est: »Sol cubitum it et in caelo venit stella vespertina. Aviculae cantu amabili finito obmutescunt; grylli tantum sonos edunt in campo. Tum agricola sedulus domum it. Eius canis laetê latrat, et pueri ad eum saliunt«. Et cetera, et cetera. Iste textus fuit tam stultus, ut cogitarem magnae esse infamiae discipulo Latinitatis assidêre isti rei tractandae.

Magister dixit discipulis classis septimae textum nunc ex memoriâ esse scribendum etiamque Dominum Discipulum Latinitatis a se invitari, ut hoc faceret.

Qui mihi dedit tabellam stilumque et dixit sibi in ecclesiam abeundum esse et afuturum esse per semihoram, et institutionem custoditum iri a *Mariâ Furtnerâ*. Quae puella fuit septimae quoque classis et filia cuiusdam agricolae, qui domum habet haud procul a nobis sitam. Tum ego etiam vehementius iratus sum, quia ille postulavit, ut oboedirem puellae.

Cum magister foras abiisset, perquam tranquillê ex *Leitnero*, qui sedebat iuxta me, quaesivi, num hodie post meridiem mecum abiturus esset piscatum.

Tum Maria Furtnera vocavit: »Tace! Si iterum blateraveris, nomen tuum notabitur!« - Ego autem: »Excusa« inquam, »Dominula Magistra, desinam«. Deinde clavem e sacculo extraxi et expertus sum, num eadem adhuc sibilare possem.

Tum Maria Furtnera ad tabulam accessit eique inscripsit: »Thoma sibilavit«.

Ego autem surrexi et: »Excusa« inquam »Dominula Magistra, quidnam mihi faciendum est, ne nomen meum inscribas?«

Illa dixit mihi scribendum esse textum illum, c.t. »De vespero«. Tum celeriter aliquid scripsi, et deinde resurrexi et dixi: »Excusa, Dominula Magistra, licetne mihi hoc recitare, ut mihi dicas, num rectē scripserim?«

Tum superbivit ista belua stulta, quod sibi liceret aliquid praescribere discipulo Latinitatis, et dixit: »Bene, licet tibi recitare«.

Tum ego recitavi voce satis magnâ: »Sol cubitum it. Stella vespertina est in caelo. Ante cauponam est silentium. Subito ianua aperitur et servus domesticus eiectat agricolam. Qui est ebrius. Qui est pater Mariae Furtnerae«.

Tum omnes parvuli cachinnaverunt, et Furtnera coepit flere. Quae iterum tabulam adiit et scripsit: »Thoma se gessit importunê«. Quae verba ter cretâ induxit. At ego e subsellio meo egressus spongiâ sumptâ verba ab illâ scripta extersi.

Denique capillis nexitis correptis Mariam Furtneram mulcavi, et in fine ei alapam duxi, ut sciret non licere nomen discipuli Latinitatis tabulae inscribere.

Nunc magister vénit et omnibus rebus auditis iratus est. Qui dixit me matris tantum causâ non eiectari, sed institutione finitâ per duas horas a se inclusum fore. Quod ille reverâ fecit. Cum parvuli abiissent, mihi remanendum fuit et magister ianuam clave clausit. Undecima iam hora fuit egoque vehementer esuriebam et cogitabam, quantam infamiam contraherem eo quod inclusus essem in scholâ elementariâ.

Tum vidi, num possem apoculare et fortasse per fenestram desilire. At fui in tabulato primo, nimiâ in altitudine, humus infra sita erat lapidosa. Tum ex alterâ parte conclavis vidi infra situm esse hortum. Cogitavi si humum desiluisse, me fortasse non esse dolitum. Fenestrâ apertâ deliberavi, num saltum experirer. Tum subito conspexi muro appositos esse asseres, qui adminiculantur arboribus pomiferis et speravi me illis sustentatum iri.

Deinde lentē exscendi pedēsque quam cautissimē asseribus imposui. Quibus bene sustentatus sum et cum vidi sem hoc non esse periculosum, in mentem mihi subiit expedire, ut mecum ferrem māla persica. Omnes sacculos necnon petasum complevi.

Tum demum domum ii mālaque persica cistae meae imposui. Post meridiem allata est epistula magistri, quā scriptum erat, ne iterum scholam intrarem.

Tum gavisus sum.

QUARTUM CAPITULUM OPERIS C.T.

**NARRATIUNCULAE
PUERI MALE MĀRATI**
(»Lausbubengeschichten«)

QUOD SCRIPSIT LUDOVICUS THOMA

IN LATINUM CONVERTIT



LEO LATINUS

EPITAPHIUM ABBATIS GREGORII I. PFEIFFER

STA VIATOR

ET LACRIMIS PUBLICIS ADDE TUAS

MERETUR UTRASQUE JACTURA PUBLICA

HIC JACET

REVERENDISSIMUS PERILLUSTRIS AC AMPLISSIMUS

DD GREGORIUS I SACRI ROMANI IMPERII PRAELATUS

**DE MONASTERIO ELCHINGENSI LABORIBUS CONSILIIS
IUDICIIS ABBAS MERITISSIMUS.**

COLLEGIT OMNIA PRAEDECESSORUM DECORA

ET FECIT SUA.

MATURUS MERITIS NONDUM ANNIS

OBIIT ANNO DOMINI MDCCLXVI AETATE LXIV.

REGIMINIS III.

INVIDIT VIRUM AETERNITAS TEMPORI.

NE TAMEN TOTUS MORERETUR GREGORIUS HOC EI
MONUMENTUM POSUIT ROBERTUS NEPOS AVUNCULO
SUCCESSOR PRAEDECESSORI.

ABI VIATOR

**QUI SUPEREST EX MAGNO PRAESULE PARVUS CINIS ET
TE FUTURUM DEMONSTRAT CINEREM.**

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permitas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam – rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90

29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEXAGESIMAM QUARTAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Saturni, 2. m.Iunii. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>